QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM
Die Iovis 13. Ianuarij.

M. PETRO LEGIER, Doctore Medico, Præside.

An calor innatus παντοκράτωρ?

I.

GENEROSVM rerum principium quod ad hominum procreationem fœcunditatem tribuit, origine nobilitatis ſublunaribus elementis antecellit. Illud eſt τὸ καλούμενον θερμὸν, quæ natura in genitore ſpiritu inhæreſcit. Ideò materiâ procreatrice in utero arctiùs concluſâ, moxque vi caloris abeunte in exiguam molem, humani corporis opificium inchoatur. Exemplar effingendarum partium, ab earum uſu animæ architectanti obverſatur. At nativus calor conciliatâ idoneâ particulis temperie, τὸ ἀκατέργαστον ἡμῶν uni opifici percognitum perpolit diſtinctiùs atque etiam locupletiùs adornat, ratione planè diſſimili ab arte cui mendicitas ſemper con-

juncta est, ut verè proditum sit memoriæ naturam πλȣσίως, artem πενιχρῶς operari.

I I.

QVEMADMODVM animæ honoris pretio & infamiâ à se ipsis differunt, sic etiam innatus dissidet calor, qui minimè igneus est, neque species quædam ustulantis flammæ, sed effectuum præstantia agendi moderatione quam adhibet incredibili & maximo generationum proventu convenientiam habet ne eamdem dicam naturam cum elemento Solis atque Stellarum. Calidum innatum non est antiquius ipso Orbe condito, sed est primo parenti coævum. Quò uberius & laudabilius fuerit, eò fœliciores res secundæ valetudinis. Ab eo vitæ diuturnitas pendet, ac brevitas est repetenda. An rectè videtur divino Hippocrati calidum quod dicitur immortale, intelligere, videre, audire, præterita & futura cognoscere?

I I I.

EDITI fœtûs in lucem, quæ olim fuit genitrix natura, eadem est servatrix. Calidi innati liberaliori copiâ, corpora plurimùm augentur, nec injucundâ magnitudine juvenescunt. Annorum decursu, calor innatus hominem variè afficit. In infantiâ blandus atque copiosus continetur, micat ille in pueritia, at in adolescentia scintillat. Sanè florente ætate caloris flammæ manant latiùs, nec sine injucundâ membrorum venustate animosè exeruntur. Ingentem verò prudentiæ vim, rerum politicarum

perfectæ administrationi accommodatam, florenti ſeptenario ſeptimo, animæ comparare ſolet. Vt caloris vivifici jugis motus ſemper ſalutaris; ſic illius ἀκινησία, eſt imperij & vitæ deletrix.

I V.

REGIAM caloris innati non ſolùm propugnaculis armatam, ſed etiam impetum facientium ſatellitio decoratam eſſe oportuit; ab eâ tanquam molliorum flammarum penu, ſubſtantia luciformis omnibus corporis partibus collucet. Etſi homo primo dierum calidiſſimus, tamen aſſiduo caloris illapſu indiget, ne collabente partium vitalitate marceſcat. Illo agitante ὁλομελίην tres provinciæ corporis recreantur, at præcipuè viſcera quæ alendo corpori præparant cibos: etenim caloris ope & magiſterio coquuntur alimenta, & diſtribuuntur, cum perneceſſariâ excrementorum egeſtione. Natura rerum provida videns hominem morte conſumi, eadem in regione, procreationis beneficio immortalitatem machinatur.

V.

VIVITVR & innati caloris legibus, quarum imperio ſtatæ καταμηνίων periodi, hæmorrhoidum excretiones ſubjiciuntur. Sæpe decretorio die colluctatus cum morbo, præcipiti facta mutatione de morbi tyrannide triumphavit. Quin etiam deſperati, plures reſtituti ſunt funere elati ad rogum evigilarunt. Herus acceptis vulneribus, ſeptimo à pugna die revixit. Ecquæ unquam

bellua peste Atheniensi atrocior? Sed tamen non pauci licèt nominis & patriæ immemores evasere. Quotquot autem, nullâ factâ remediorum administratione, crudeliter grassante contagio superfuere, caloris beneficentiâ id consecuti sunt. Calor innatus morborum domitor, vitæ princeps, rerum dominus, & summa potentia solus.

Ergo calor innatus παντοκράτωρ.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Antonius Ruffin.
M. Petrus Pourret.
M. Antonius de Caën.
M. Carolus Laval.
M. Dionysius Dodart, rei Herbariæ Professor.
M. Dionysius Puylon, Scholarum Professor.
M. Nicolaus Matthieu.
M. Iacobus Renaut.
M. Nicolaus Langlois.

Proponebat Lutetiæ GVILLELMVS PETIT, Constantiensis, A. R. S. H. M. DC. LXVII.

Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illustriss. Archiepiscopi Paris. Typographi.

9